



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

LIV. Das Domstift Havelberg nimmt das Domstift Stendal in seine
Brüderschaft auf, im Jahre 1286.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

tumulandas parrochiali iure in omnibus salvo, Ita tamen vt priuilegia nostra nullatenus violentur. Modus eligentium sepulturam talis erit. Ipsi petent personaliter vel aliquis ydoneus nomine ipsorum a decano vel in eius absentia a maiori ecclesie consensum, quem sine omni difficultate et ambiguitate adhibituros se spondent. Et iste modus eligendi circa tres tamen personas adiectas seruabitur. De aliis autem scilicet procuratoribus et procuratricibus et hospitibus et intraturis decano vel in eius absentia maiori ecclesie denunciabimur solummodo elogium vltime uoluntatis. Hanc autem amicitiam circa restrictionem tumulandarum personarum nos obseruare inuiolabiliter obligamur et supramemorati canonici nobis circa libertates nostras predicationis scilicet et confessionis et aliorum priuilegiorum nostrorum vice versa caritatem nobis exhibebunt et amicitiam, ita quod in nullo nos in iam dictis libertatibus impedient vel artabunt, sed potius in omnibus promouere studebunt, et nos similiter canonicos in libertatibus seu priuilegiis suis nullatenus impediemus vel artabimus, sed potius in omnibus studebimus promouere. Insuper communionem et orationum participationem in exequiis defunctorum hinc inde obseruabimus, sicut est actenus obseruatum. Et hec compositio pro nobis et nostris successoribus est datione fidei confirmata. Et quicumque in prefens uel in futurum de nostris violauerit, Si infra quindenam monitus a parte aduersa non satisfecerit, notam inobedientie se nouerit incurrisse. Pro cuius rei confirmatione presentes litteras canonicis sigillo ministri Custodis et domus stendaliensis tradimus sigillatas. Data Magdeburg Anno domini M^o. CC^o. LXXX^o. V^o, In assumptione virginis gloriose.

LIV. Das Domstift Havelberg nimmt das Domstift Stendal in seine Bruderschaft auf,
im Jahre 1286.

Honorabilibus uiris et Discretis Domino a. preposito, Domino Jo. Decano Totique capitulo in Stendal Henricus dei gracia prepositus, H. prior Totumque Capitulum Havelbergense cum oracionibus indefessis uere fraternitatis affectum. Cum curacio funeris condicio sepulture pompe exequiarum magis sint solatia uiuorum quam subsidia mortuorum, necessario duximus obseruandum in Corporali disciplina, in Compulsacione signorum, in uigiliis, in psalteriis, in missis, in elemosinis, in oracionibus continuis diem primum, septimum, tricesimum fidelium defunctorum, eorum scilicet specialius, qui se nostris oracionibus commendarunt, licet pro omni gradu Ecclesie rex uirtutum sit fideliter exorandus. Siquidem habita dudum inter Ecclesiam uestram et nostram sincera karitas, ut amplius augmentetur, uestris meritis exigentibus concedimus uobis fraternitatem nostram adeo, ut omnium beneficiorum (sic), que in nostra Ecclesia fiunt et fieri debent, in perpetuum sitis participes et Consortes. Cum autem obitus canonicorum uestrorum nostro capitulo fuerit nunciatus, uobis debitum fraternitatis in uigiliis, in psalteriis, in missis, tamquam vni de nostris, integraliter persoluemus. Vt autem hec fraternitas inconuulsa permaneat, presentem litteram Ecclesie nostre sigilli munimine fecimus communiri. Datum Havelberg, anno graciae M. CC. LXXXVI. Indictione XIII^a concurrente I.

LV. Bischof Volrad von Halberstadt erneuet die von seinem Vorfahr Gardolph dem Domcapitel erteilten Zusicherungen, am 15. April 1287.

In nomine sancte et Indiuidue trinitatis Volradus, dei gratia halberstadenfis Ecclesie Episcopus, Dilectis in christo filiis Jo. Decano sancti nicolai in steyndale ejusque fratribus